

dem simplicioribus exosas reddere omni ope adnitantur. Quorum Criminationem feliciter refelli quam praxi ipsa haud posse omnes facile intelligent. Quorum Criminationem feliciter refelli quam praxi ipsa haud posse omnes facile intelligent. Quare seposita omni ulteriori mora ad rem ipsam alacri animo accingor, Divinum Numen ardentissimis precibus veneratus, ut Spiritu suo S. mentem calamumque meum ita dirigat, ne à sensu Verbi sui unquam aberrem, sed ea ubique dicam, quæ Nomini ipsius sunt gloriosa, Mihi vero & Lectori meo salutaria.

CAPUT I.

Ea evolvens, quæ ad Epistolæ Historiam spectant.

§. I.

DE Autore Epistolæ nunquam ulla dubitatio suborta est; Paulum enim prima statim subscriptionis litera, salutatio item ipsi consveta, denique conclusio, alibi quoque Paulo familiaris, designant. Cui consentiens Veteris Ecclesiæ Testimonium accedit, quæ ideo & Epistolæ indicem præscripsit: Πάυλος τῆς Ἀποστόλων ἢ πρὸς Φιλήμονα ἐπιστολή. *D. Pauli Apostoli ad Philemonem Epistola.*

§. 2. Scripta autem Romæ ab ipso est, in captivitate. Id enim & ipsius Epistolæ fronte & in Narratione subinde disertis verbis innuitur. Primane an secunda? In primam omnes conspirant, quia exarata est Timotheo præsentem, quippe quem in societatem Scripturæ initio statim Epistolæ adsumit, cum in posteriori captivitate ad Timotheum absentem scripserit, imo spem omnem ulterioris vitæ abjecerit, professus, se jamjam immolari, tempusque decessus sui ex hoc mundo præsto esse, cum è contra in hac ad Philemonem Epistola non speret tantum precibus Colossensium è carcere se liberatum iri, sed & hospitium parari sibi jubeat, quasi de libertate sua, quippe in primo eoque bono Neronis quinquennio, jam omnino esset certus.

§. 3. Luxare quidem posterioris hujus argumenti viam conatur *Ludovicus Capellus* in appendice ad Historiam Apostolicam

licam